

nitentiam, & eum tunc à Domino in gratiam esse receptum, id enim pœnitentibus aliàs promisit Jehova, qvi non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur ab iniquitate suâ & vivat? Intueamur vel solum Davidis exemplum, qvem hic Successorem Regni habuit. Graviter ille lapsus fuerat, cum non adulterium modò sed homicidium etiam commisisset. At cum se peccâsse profiteretur, læto hoc eum erigebat nuncio *Nathan: Jehova transtulit peccatum tuum, non es moriturus. 2. Sam. XII, 13.* Satis certe pœnarum Regni à familiâ Saulis alienatio fuisse videtur, cur autem Dominus Sanctum suum Spiritum pœnitenti præterea aufert?

§. XI. Enim verò facilis est ad hæc Responsio, dummodò inter seriam peccatorum confessionem & fucatam hypocrisin ritè distingvamus. Non negare audebit quispiam, eos esse effectus veræ pœnitentiæ, ut hominem à Deo avulsum eidem rursus associare valeat. Atqve hanc si in Saule deprehendisset Samuel, nunquam profectò in eam lapsus esset miseriam, quæ boni Spiritûs præsidio ipsum postea privavit. At non nisi fumum vendidit impius hypocrita, longè aliud fovens pectore, quàm quod ore profirebatur. Id probè perspiciens Samuel, cum eo reverti tantoperè recusavit, neque eum aliud quidpiam, ut ejus tandem expleret desiderium, commovit, quàm hoc, ne in præsentissimum desperationis periculum Saul conjiceretur, si eum comitari ulterius abnueret. Quod suum peccatum non dissimulaverit coram Samuele, id non velut quodpiam seriæ pœnitentiæ signum assumendum est, sed partim ex eo provenit, quod non nesciret, Samuelem Prophetam Dei esse, ac idèò parum se obstinatâ hujus facti negatione profecturum putaret, partim, quod horroribus conscientiæ angeretur, adeoque, ut solent homines in his constituti cruciatibus, reticere ea, quæ commiserat, haut potuerit. Imò ipsum se satis